



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1604**

Martyrivm SS. Cyrini, Primi, & Theogenis, quod exegêre, sub Licinio Anno  
à Partu virgineo trecentesimo decimosexto. Syluestri Romani Pontificis  
tertio. Constantini Imperator. vndecimo. Ex eo quod ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42667**

atque diligentia res gestas martyrum, eorumque <sup>sedulo de-</sup>  
 præclara certamina, perpetuis litterarum mo- <sup>scribi curat.</sup>  
 numentis, mandari curavit. Indignum nam-  
 que statuebat, vna cum vita, benè agentium me-  
 moriam aboleri, è qua tantus, tamque eximi-  
 us, ad omnem posteritatem dimanat fructus.  
 Igitur cum sedulo in id opus incumberet, mar-  
 tyrumque certamina, à contemptu & obliuio-  
 ne, dictis factisque vindicaret, ad eandem mar-  
 tyrij gloriam, mense vixdum in Pontificatu ex-  
 acto, peruenire meruit. Maximinus namque Im-  
 perator, qui præcipua in Christianos crudelitate  
 sæuebat, Romæ, per Vitalianum, Prætorio,  
 & Sabinum vrbi præfectos, eum comprehen-  
 di, vitaque fragili hac & caduca spoliari iuf-  
 fit.

Vnicam vir sanctus, Decembri mense, ordina- <sup>Ordinatio-</sup>  
 tionem fecit, in qua Antistitem vnum, in Ciuitate <sup>nes eius.</sup>  
 Fundis Campaniæ consecrauit. Successorem verò <sup>Succedit ei-</sup>  
 habuit Fabianum, sanctitate & eruditione in- <sup>us Fabia-</sup>  
 tum, atque postremò Martyrij corona similiter <sup>aus.</sup>  
 decoratum.

MARTYRIVM SS. CYRINI, PRIMI,  
 & Theogenis, quod exegere, sub Licinio Anno à <sup>Vide Cæf.</sup>  
 Partu virgineo trecentesimo decimosexto. Syluestri <sup>Baro. Tom.</sup>  
 Romani Pontificis tertio. Constantini Impe- <sup>3. Ann. Eccl.</sup>  
 rator. vndecimo. Ex eo quod habe-  
 tur apud Baron.

CVM Licinius Orientalium Imperator, o- <sup>3. Ianuarij.</sup>  
 mnes bellicæ artis machinas, in Constanti-  
 ni perniciem expediret, cunctosque sub signis sui  
 B 4 Chri-

Cizicam  
primaria ci-  
uitas in Hel-  
lesponto.

Ignoratur  
genus mar-  
tyrij Cirini  
& Primi mi-  
litum.  
Certamen  
Theogenis  
militis.

Legio, Sera  
Traiana ap-  
pellata.

Atrocissi-  
me crucia-  
tur.

A Christo  
Domino, in  
ter tormen-  
ta, visitatur  
& conforta-  
tur.

Mergitur in  
mare.

Christianos, ad nefanda idolorum sacrificia compelleret, in Cizico primaria Hellepontica ciuitate, Cyrinus, Primus, atque Theogenes militari gloria illustres, sed Christiana militia illustriores, quod arma aduersus Christi fideles sumere recusarent, præclarum martyrij certamen magna virtutis constantia peregerunt. Et quidem Cyrinus atque Primus, quibus excarnificati supplicij, ex mortalitatis ergastulo migrarunt, literarum monumentis proditum non est. Theogenis verò certamen, inuictumque animi robur fertur fuisse huiusmodi.

A Patre verò Christiano, cum ad omnem iustitię pietatisque rationem optimè esset institutus, alijs similiter, egregia vitę, morumque probitate, prælucebat. Vnde à sceleratis commilitonibus accusatus, atque ad Legionem, quę Sera Traiana dicebatur, perductus, cum intrepidus Christianę fidei professionem eaderet, mox atrocissimis est fatigatus supplicij. In quatuor namque palos distentus, à Centurionibus octodecim, fustibus est diutissime cęsus. Deinde in carcerem missus, clauisque quatuor in neruo confixus, magna virtutis constantia, atrox supplicij genus superauit. Nec deseruit inuocantem se Christus Dominus, qui decertantem viriliter, visitare, viresque ad certam victorię spem conferre dignatus est. Fertur concentus vocum suauissimus, ad ipsas custodum aures dimanasse, animosque omnium ad fidem vehementer inflammasse.

Porrò Theogenes eductus è carcere, Tribunus sui sententia, in mare præcipitatus, præclaram martyrij coronam, cum magna fortitudinis, & spiritualis consolationis testificatione, adeptus est.

est. Lux namque cælitus eum circumdedit, quæ  
carnificum oculos tanta claritate perstrinxit, vt  
obducta caligine palpitarent, agnitaque perfidia  
martyris auxilium supplices implorarent. Qui  
salutaribus vndis per Christianos expiati, nono  
post die, & pristina oculorum luce, & nouo S.  
Spiritus gaudio donati sunt. Corpus verò marty-  
ris, vndarum impulsu ad littus iactatum, magno  
Christianorum gaudio iuxta muros ciuitatis, in  
villa Adamanti nomine sepultum est.

Miraculum.

Carnifices,  
ad Christi  
conuersi,  
Baptizatur.  
Locus se-  
pulturæ S.  
Theogenis  
marr.

PRÆCLARVM CERTAMEN S. PETRI  
Aulani, ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario, Latinitati  
donatum, Consummatum verò sub Maximiano

Vide Cæf.  
Bar. in not.  
Rom. Marr.

Imperat. qui regnavit Anno Christi Salua-  
toris 301. & sequentibus. Sunt au-  
tem hac eius Passionis &  
Acta, planè ger-  
mana.

Item Tom.  
2. Annal.

**P**etrus, qui & Balsamus dictus est, à finibus E-  
leutheropolitanæ ciuitatis oriundus, tem-  
pore persecutionis comprehensus, Seuero  
præfidi oblatus est. A quo de nomine, genere &  
officio percunctatus respondit, paterno se nomi-  
ne Balsamum, baptismatis verò gratia Petrum ap-  
pellari: genere Christianum; cuius officium cum  
nulla sæculi huius dignitate comparari possit.  
Tum Præses. Parentesne tibi sunt? Respondit Pe-  
trus; Christus me omnia, cum pro eius nominis  
confessione certandum est, denegare docuit. Ad  
quæ Præses: Nosti, inquit, inuictissimorum præce-  
ptum Imperatorum, quo vel dijs tibi sacrifican-  
dum, vel diris supplicijs & cruciatibus morien-  
dum.

4. Ianuarij.

E 5

dum